



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LXXXVI. Arnoldvs. LX. Arch. XV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

LXXXVI. ARNOLDVS. LX. ARCH.

XV. ELECTOR.

Arnoldus nepos Theodorici ex gente Isenburgica, dum à Clericis eligitur, nobilitas & populus jungunt studia, ut Rudolphum de Ponte sibi Electorem præficiant. Rudolphus itaque horum favore fretus, ut Pedum impetret, gladium arripit, summamque ædem arnis occupat: unde clades mutæ. Cessit denique meritò Rudolphus, Arnoldo autem Innocentius IV. Pont. Româ Pallium ultro submisit. Hoc animatus favore Arnoldus Reipublicæ tam sacræ, quàm profanæ exornandæ strenuam dedit operam. Operam hanc tamen plurimum impedit Fridericus II. Imperator Pontificis, & Imperii Principum sententiâ exauthoratus, in cuius locum cum promovissent Henricum Hassiæ Landgravium, & hoc defuncto, Wilhelmum Hollandiæ Comitem, etiam Arnoldo variè pugnandum fuit cum Friderici, & Conradi filii partibus. Demum mortuo etiam Imperatore Wilhelmo, cum varia offerrentur munera Arnoldo, ut Richardum Anglum suo calculo eligeret Imperatorem, muneribus ad dominum suum redire iussis, Imperii Fascibus tanto minùs dignum æstimavit, quanto magis ambire etiam oblato auro quemquam intellexerat. Ab æquitate igitur maximopere laudatus in arce Thaborina an. 1259. æquissimum adiit Remuneratorem. Sed. an 17.

LXXXVII. HENRICVS II. LXI. ARCH.

XVI. ELECTOR.

Certantibus inter sese de Pede & Pallio Trevirensi, Arnoldo de Scleida & Henrico Bollandino, Henricus alter, Decanus scilicet Metensis utrumque præripuit, consecratis Archipræsul unà cum tribus aliis, nimirum Moguntino, Premensi & Magdeburgico Archiepiscopis. At cum maturè nimis Archiepis-

Q

CO-